



BArtholomæus apud Lutzelburgenses in Belgia natus anno circiter 1485. Is cum felici inge-
nio esset prædictus, post prima literarum fundamen-
ta iacta, ad exteris academias peruenit, & sua indu-
stria magnum sibi nomē comparauit. In primis uer-
ò in Italia Philosophiæ & Oratoriæ incubuit, & ta-
lis euasit, ut Erasmo familiaris inter uiros doctissi-
mos recenseretur. Inde se Lutetiam Parisiorum
contulit, & breui ob eruditionem omnibus inno-
tuit. Itaq; factum ut ibidem professor Regius con-
stitutus fuerit. In eo loco Ciceronem publicè legit,
atq; eius orationes, Partitiones oratorias, Topica,
et Officia cōmentarijs illustrauit, anno circiter 1535.

Hanc eius eruditionem cum Treuerensis elector cognouisset, Bartholomæū
ad se uocauit, atq; in suum senatum cooptauit. Ibi uerò diligēter sacras literas
legit, & earum usum adeò sibi familiarem reddidit, ut in Theologia libros ede-
ret, atque se Euangelicis, & in primis Martino Bucero opponeret. Postea
quoq; cum 1546 Ratisbonæ colloquium inter Catholicos & Euangēlicos Ce-
faris iussu institueretur, hic Lathomus cum suæ partis Theologis interfuit, &
doctrinam pontificiam multis argumentis confirmauit. Itaq; ipse ob hæc in-
genij monumenta magnum sibi nomen comparauit. Is Confluentiæ ad Rhe-
num iam octuagenarius etiamnum superest, & subinde aliquid medita-
tur, quò suas lucubrationes ad posteros transmittere queat.

Gess, Anon.